



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali, cui crucifixus tenebras temperavit, cap. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

tum honorem exhibuisset, ex consilio singillatim reuerſi sunt, nec tamen alicui eorum inclinatum est, nisi cui prius: tunc causam sciscitantes, cum ille diceret se indignum esse tanto honore, quæ supra dicta sunt memoriæ occurrerunt: quæ cum fratribus retulisset, mirari sunt de tanta Dei humilitate, scientes imaginis eius inclinationem factâ fuisse pro gratiarû actione.

CAPVT XXII.

S Oror quædam ordinis nostri, capellam oratorij ingressa, cum ante altare coram crucifixo psalmos legeret, & cum tardè esset, custos illam ibi esse nesciens, ostium forinsecus clausit, & recessit: quod cum illa intrinsecus audiret, nec tamen pulsare præsumeret, ibidem pernoctauit: & sicut ab eius ore audiui, radius quidâ, ad instar stellæ, de brachio exiens crucifixi, tantum ei luminis præstitit, vt in tenebris, illius beneficio, psalmos suos legeret. Est super idem altare imago virginis lignea, filium tenēs in sinu, cumque sanctimonialis tempore quodam coram illa psalterium lecitaret, puerulus inopinatè aduenit, & quasi scire vellet quid illa legeret, in librum respexit, & redijt. Est autem eadem venerabilis femina laica & vidua, multumque circa ordinem nostrum feruens ac deuota, plurimas habens à Deo consolationes.

CAPVT XXIII.

N Ouitius quidam in Hemmenrode, cum vice quadam in choro ad versiculum sanctæ Trinitatis deuotè inclinaret, crucem fronti suæ imprimi sensit, & puto quòd eadem hora cogitauerit de passione: Vocatur autem Hermannus, & adhuc uiuit. APOL. Puto quòd sculptores & pictores sacrarû imaginum aliquod speciale præmium ex hoc percipiant. CÆSARIVS: De hoc dubitare non debes, si tamen magis sit deuotio, quàm auaritia mercedis in causa.

H h

CAPVT